



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

Quæstio XXVIII. In Tit. XXVIII. De Officio Vicarij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](#)

persistere; si verò contra hanc regulam nostram, & contra regulam Sanctorum CCCXVIII. Patrum, qui in Niceno Concilio hoc constituerunt, temerarius præsumptor fuerit, & de cætero oblationes de sacris Ecclesijs auferre molitus fuerit,

sub anathematis vinculo sit colligatus, & contemnatus; responderunt omnes, fiat, fiat: ibidem; officium autem *Sacrificia di- gavitibus annumerat Azor p. 2. lib.*

3. cap. 16. q. 6.

* *

QUÆSTIO XXVII.

IN TIT. XXVII. DE OFFICIO CUSTODIS.

2305.

Custos Ecclesiæ dicitur is, cui ea, quæ Ecclesiæ competunt, custodienda committuntur, sub obedientia Archidiaconi; Fagnanus in c. *Custos Ecclesiæ h. t. nn. 1.* multa habet communia cum Sacrista; & ideo in cit. c. *perleclis*, ubi cætero-quin referuntur omnia propè munia Hierarchiæ Ecclesiasticae, nulla sit specialis mentio *Custodis*, distincti à Sacrista; & in plerisque Ecclesijs est tantum alter eorum, ut notat Zoëlius h. c. n. 1. Ejus officium est, pallia, & linteamina altaris custodire; lampades, cæteraque luminaria debito tempore accendere, & extinguere (c. 1. h. t.) ad horas Canonicas jussu Archidiaconi pulsare; panem, & vinum ad missam patata habere; eleemosynas, seu oblationes Clericis distribuere (c. 2. eod.) ubi addi- tur his verbis: *hi tres*, videlicet Archidiaconus, Archipresbyter, & Custos, sunt

*quasi columnæ Ecclesiæ, ideo debent esse una- nimes, & sine invidia: dixi, oblationes Clericis distribuere; circa quod notandum, oblationes lucrari non posse, nisi Clericos interessentes divinis; Barbosa in c. 2. de offic. *Custod.* oblationes autem, quæ sunt tempore *Jubilæi*, vel anno sancto, in Ec- clezia Cathedrali, spectare ad Archipres- byterum ejusdem Ecclesiæ; non, ad E- piscopum; Barbosa cit: nn. 3. Abbas in c. *quoniam, de decimis*; eas verò, quæ lacris imaginibus deferuntur, sive intra, sive ex- tra Ecclesiam Parochiale posita sint illæ sacrae imagines, modò sint intra limites Parochiæ, de jure, & constitutidine, esse Parochi; sic Barbosa cit: nn. 4. &c. fusè Azor p. 1. l. 7. c.*

27. quest: 13.

* *

QUÆSTIO XXVIII.

IN TIT. XXVIII. DE OFFICIO VICARIJ.

2306.

Consideratis eorum officijs, qui deser- viunt Ecclesijs *nomine proprio*; se- quitur de iis, qui deserviunt *nomine alieno*, cuiusmodi sunt *Vicarij*, seu vices geren- tes, qui in locum alterius (mortui, vel im- pediti) substituuntur ab eo, qui à lege ad id potestatem habet. Talis facultas etiam Episcopis concessa est, ut sibi Vicarios ge- nerales constituere valeant; ut notat Bar- bosa h. t. num. 4. Et hi sunt in triplici classe 1. scilicet *nati*, seu *legitimi* (scilicet dati à lege, quales sunt Archidiaco- ni) 2. *foranei*, qui scilicet extra civitatem, in qua est Episcopi Sedes, jurisdictionem exercent) quos nimis Episcopus, in certa diœcesis parte, vel in oppido con- stituit 3. *generales*, seu *dativi*, vel con- stituit, quos Episcopus creavit, & consti-

tuit, ut ejus vicem gererent in eodem Tri- bunal, & loco, in quo ipse jus dicere con- siveit; sic Barbosa ad rubricam hujus tit. n. 9. sed titulus præsens potissimum agit, non de *Vicarijs Episcoporum*, sed *beneficiorum*, ex quibus aliqui sunt *Vicarij perpetui*, ali- solum *temporales*; de quibus in præsenti.

ARTICULUS I.

De Vicarijs perpetuis.

Vicarius *perpetuus* est, qui canonice, (id est authoritate Episcopi, vel in hoc habentis potestatem quasi Episcopa- lem) in aliqua Ecclesia Parochi cum certa, & congrua portione annua, tanquam la- boris & operæ mercede, ex proventibus ipsius

ipius Ecclesiae constituitur ; sic Valens: h. t. n. 1. cum communi. Hæc potestas, auctoritate Episcopali habendi Vicarium perpetuum jure Canonico conceditur 1. habenti suæ dignitati, vel præbendæ annexam Ecclesiam Parochiale c. extirpandæ, 30. §. qui verò, de præbend: ibi: qui vero parochiale habet Ecclesiam, non per Vicarium, sed per se ipsum, illi deseriat in ordine, quem ipsius Ecclesiae cura requirit ; nisi forte dignitati, vel præbenda parochialis Ecclesia sit annexa : in quo casu concedimus, ut, qui talem habet præbendam, vel dignitatem (cùm oporteat eum, in majori Ecclesia deservire) in ipsa Ecclesia parochiali idoneum, & perpetuum habeat Vicarium, canonice institutum ; qui (ut prædictum est) congruentem habeat de ipsius Ecclesiae proventibus portionem : alioquin illa se sciat, auctoritate hujus decreti, privatum, liberè alij conferendâ, qui velit, & possit, quod dictum est, adimplere. Illud autem penitus interdicimus, ne quis in fraudem (de proventibus Ecclesiae, quæ curam habere debet) proprij Sacerdotis, pensionem alij pro beneficio conservere presumat.

1308.

Item c. de Monachis 12. eod: ubi Alexander III. Vigoriensi Archiepiscopo, de Monachis, inquit, qui Vicarios parochialium Ecclesiarum gravant, ut hospitalitatem tenere non possint, eam providentiam habeas, quod ad presentationem monachorum nullum recipias, nisi tantum ei de proventibus Ecclesiae, coram te fuerit assignatum ; unde jura Episcopalia possit persolvere, & congruam sustentationem. Idem conceditur Cathedralibus, Collegiatis, seu alijs Ecclesijs, vel Monasterijs, Collegijs, & locis pijs, quæ beneficia Ecclesiastica, perpetuo sibi unita, & annexa habent. Trid. sess: 7. de reform: c. 7. ibi: beneficia Ecclesiastica curata, quæ Cathedralibus, Collegiatis, seu alijs Ecclesijs, vel monasterijs, beneficijs, seu Collegijs, aut pijs locis qui- buscunq; perpetuò, unita & annexa reperiuntur ab Ordinariis locorū annis singulis visitentur; qui sollicitè providere procurent, ut per idoneos Vicarios, etiam perpetuos (nisi ipsis ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur) ab eis cum tertia partis fructuum, aut majori, vel minori (arbitrio ipsorum Ordinariorum) portione, etiam super certa re assignanda,

ad idem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur : appellationibus, privilegijs, exemptionibus, etiam cum Judicium deputatione, & illorum inhibitionibus quibuscumque, in præmissis, minime suffragantibus : & sess: 25. c. 16. de reform. ibi: in ijs verò, in quibus contra eorum institutionem, seu fundationem, cura animarum in Vicarium perpetuum translata est, etiamsi in hoc statu ab immemorabili tempore reperiantur, si congrua portio fructuum Vicario, quounque nomine is appelletur, non fuerit assignata, ea quamprimum, & ad minus intra annum, à fine præsentis Concilij, arbitrio Ordinarij, juxta formam decreti sub Felicis recordat. Paulo III. assignetur ; ubi nota, quod hoc decretum, dans facultatem Ordinariis, visitandi beneficia curata, unita monasterijs, intelligatur de beneficijs extra monasterium ; quo casu ex c. 11. sess: 25. de regular. visitat tantum personas, inibi curam animarum exercentes ; & hoc cumulative; non autem privative ad Abbatem ; ita Rota in Pisceten. jurisdictionis 15. Julij 1590.

2309.

Præter hæc not. quod Vicarij perpetui habeant verum titulum, per Clement. unic. h. t. ibi: quæ de Ecclesijs, curam animarum habentibus, per receptionem aliarum similiam amittendis, ac de ipsarum Rectribus promovendis ad sacerdotium : & de eorum etate, à jure statuta noscuntur : in perpetuis Ecclesiarum parochialium Vicarijs, & assumptis ad eas, volumus observari. Et ideo non possunt removeri per Rectores earum Ecclesiarum prater juris ordinem, c. 3. h. t. ubi Alexander III. Episcopo Vintoniensi scribit, quod, si personatum obtines (v. g. Cathedralis Ecclesiae Decanatum) cui Parochialis Ecclesia unita est, Vicarium inibi instituerit, eique, cum Episcopi assensu, & auctoritate certam reddituum portionem assignaverit, atque mortuo Decano, seu persona, alias successerit, non potest is Vicarium amovere, aut pensionem ipsi designatam minuere : sin verò ob crimen privationem mereatur, tum à Judice suo condemnandus erit, etiam mortuo Rectore principali. Barb: in cit. c. 3. nu. 3. & ideo etiam jura de Rectore parochialis Ecclesiae constituta, locum habent in Vicario perpetuo ; cit. Clem. unic: h. t. & c. postulasti 27. de rescriptis ; ubi statui-

statuitur, quod non valeant literæ imperatæ beneficium obtainendum, in quibus impetrans tacuit perpetuam Vicariam. Hinc nota 2. Vicarios perpetuos, teneri ad residentiam, c. 6. h. t. ibi: mandamus, quatenus perpetuos Vicarios, ut in Ecclesijs, in in quibus Vicarias obtinent, resideant; ejusmodi Vicarij habent beneficium curatum, ut notat Barbos: in dict. c. 6. n. 2. quia perpetuæ Vicariæ, sunt propriæ beneficium Ecclesiasticum, ut colligitur ex cit. c. postulasti; & ideo penes ipsos est animarum cura in actu, & exercitio; quin principalis in ea, spretò Vicarij, se possit ingerere; Abbas in c. extirpanda, §. qui verò de præb. n. 15. nec quoad curam animarum in foro Pœnitentiæ; sic Azor parte 2. l. 3. c. 6. q. 2. ad finem, non possunt simul habere duas Vicarias perpetuas c. 2. h. t. ibi: provideas, ne in Episcopatu tuo, patiaris aliquem plures Vicarias habere: quia, cum Vicarij teneantur personis, & Ecclesijs deservire, alienum est ab ordine juris, ut Vicariam quis habeat, preter unam; nec sibi alium Vicarium perpetuum substituere, c. 4. h. t. ibi: Clericos in Præbyteratu, vel in alijs inferioribus ordinibus constitutos, in Vicarij Ecclesiæ, quas adepti sunt, alias sibi substituere non permittas; cum id satis sit absconum, & absurdum; possunt temporalem; de quo V. nu. 2812. & seqq.

ARTICULUS II.

De Vicario temporali, seu Cooperatore.

Vicarius temporalis dicitur, qui in locum alicujus solùm ad tempus constituitur c. & temporis, 16. q. 1. c. 1. ne Sede vacante; ejus Vicaria non est beneficium Ecclesiasticum, gloss: in Extravag. Execrabilis, Joannis XXII. de præbend. est ad nutum revocabilis; exspirat morte Rectoris Principalis; Abbas in cit. cap. extirpanda; non datur in titulum; nec gaudet prærogativis Vicariæ perpetuæ; nec comprehenditur sub reservationibus; Gonzalez cit. ad reg. 8. Cancell: gloss. 5. §. 3. nu. 32. Vicarium temporale in Ecclesia patronata constitui posse à Rectorе illius Ecclesiæ, etiam sine consensu Patroni, docet Gonzalez ad reg. 8. Cancell: gloss. 5. §. 2. 3. nu. 38. V. infra nu. 2313.

Praterea not. Vicarium temporale dupliciter constitui posse; nempe cum,

vel sine titulo. Nam quando Parochus; propter aliquod impedimentum, sui loco constituit aliquem Clericum ad breve tempus v. g. ad dies 15. talis Clericus dicitur ejus Vicarius, sed sine titulo; si autem ad longum tempus, erit cum titulo; sic Castropalaus n. 2. tr. 13. D. 1. p. 8. n. 2. Not. 2. Vicarium temporale sine titulo, fieri posse sola nominatione Parochi; ad longum autem tempus non, nisi cum autoritate Episcopi, per c. cum ex eo 34. de elect. in 6. ibi: septennio prædicto durante, idem Episcopi, & Superioris, solicite providere current, ut per bonos sufficientes Vicarios, ab eis, hujusmodi Ecclesijs deputandos, animarum cura diligenter exerceatur; & c. pervenit 28. de appellat. ibi: interim verò alicui honestæ personæ vices ejus, in Ecclesia prælaxata committas, &c. sic etiam Abbas in c. quoniā 2. ne Prælati vices suas; Azor p. 2. l. 3. c. 6. q. ult.

Not. 3. ad hanc Vicarij designationem non requiri consensum Patroni, licet beneficium sit de jure patronatus Laicorum, per c. ad hac 3. de offic. Vicarij; cum ibi solùm exigatur institutio ejus per Ordinariū; sed hic textus loquitur de Vicario perpetuo; non temporali. Not. 4. Vicarium quoque temporale designati ab Ordinario; cum beneficium vacat, dum ei de Rectorе provideatur; sufficeret solam nominationem; sic Castropal. loc. cit. Not. 5. ex Azor cit. c. 6. q. 3. generaliter tenendum, Vicarium designati debere, quoties Rector Ecclesiæ, impeditus est; quod contingit, quando beneficium curatum annexitur mensa Capitulari, vel Episcopali; vel quando Monasteria, Conventus, & Capitula Ecclesiæ Cathedralium, vel Collegiatarum, à primæva sua institutione curam animarum habeant, ut notat Azor cit. nec in dato casu Vicarius necessarij est perpetuus, ut observat Castropalaus cit.

Not. 6. Vicarium temporale, & ad nutum amovibilem, mortuo Rectorе, posse, ac debere stipendium servitij facti, si necdum solutum sit, repetrere ab hærede Rectoris, vel à Successore in beneficio. Nam hæres pro quantitate hæreditatis tenetur solvere antecessoris debita; & Successor in beneficio, ex fructibus beneficij, solvere debet, Antecessoris debita, contracta in utilitatem Ecclesiæ, esto fructus ad

ad ipsum non pervenerint, ut colligitur ex cap. ad hac, h. tit. sic Azor p. 2. lib. 3. cap. 6. q. 9. Dixi contracta in utilitatem Ecclesie. Nam, si Rector Ecclesie, ultra Clericos, Ecclesie servitio necessarios, suscepereit Clericum, qui vice Rectoris, officium præstat concionando, Sacra- menta ministrando &c. ipso Rectore solum fructus colligente, nihil autem, aut parum de functionibus suis operante, ut sepe fit, certum est, non debere onerari Ecclesiam, vel Successorem, ut, defuncto Rectore, talem Vicarium solvat, cum solutionem ex fructibus jam acceperit pro illis functionibus.

ARTICULUS III.

De Vicario Episcopi.

Non agimus de Vicario Episcopi, *nato*, vel *foraneo*, sed *constituto*, qui, si generalis sit, etiam dicitur *Officialis*; sic Vallensis. *b. t.* constitui autem potest Vicarius, vel *tanum* in spiritualibus, vel *tantum* in temporalibus, cuius administratio consistit in judicio, vel extra judicium, ut notat Vallensis *b. t. Q. 4. n. 1.* vel *in utroque*; & constitutus pro utroque, dicitur propriè *Vicarius Generalis* (quamquam etiam Vicarius, ad spiritualia *tantum*, re- & dicatur *Generalis*, ut patet ex Tridentino *sess. 13. c. 2. de reform.* ibi: *seu illius etiam Vicario in spiritualibus Generali*; sic Barbosa *p. 3. de potest. Episcopi, allegat: 54. n. 57.*) & creari debet cum expressione *spiritualium, & temporalium*; alioquin non esset *Generalis*; sic Vallensis *ex c. se Episcopus, & c. Ecclesie, de supplend: neglig: Pralat:* si vices Episcopi gerat in tota Diœcesi, & jus dicat in loco, ac Tribunal, in quo consuevit ipse Principalis jus dicere, vocatur Vicarius *Principalis*, & habet dignitatem; non tamen eam, *qua sit beneficium Ecclesiasticum*, vel *incompatibilis cum alia dignitate*; Rebuff. *in praxi tit. de Vicarijs Episcorum.* Vicarius Episcopi eligi debet, qui sit probatis moribus, ætatis 25. annorum, arg. c. *cum in cunctis, §. inferiora, de elect: nec in hoc dispensare potest Episcopus*, ut minoris ætatis Vicarius esse possit; Barb: *p. 3. de potest. Episcopi allegat: 54. n. 3.* & qui sit Clericus, saltem primæ tonsuræ; non laicus, nec

Clericus conjugatus; nec bigamus; nec Monachus, vel Religiosus professus ordinem mendicantium; rerum, vel causarum forensium peritus, L. penult: C. de *Judic: L. ad Rem publicam ff. de muneribus,* Doctor vel Licentiatus, saltem in jure Canonico, vel alias idoneus: Trid: *sess. 24. c. 16. de reform.*

Q. I.

Quam potestatem habeat Vicarius Episcopi?

Potestatem Vicarij Generalis esse delegatam docet Gotofredus *in Summa, b. tit. q. 1.* verius est esse ordinariam, *juxta Sanchez de matrim: l. 3. D. 29. Vallensem, cit. §. 5. nu. 2.* Jurisdictio enim *ordinaria, ea dicitur, quæ à lege datur;* Barb: *p. 3. de potest: Episcopi, allegat. 54. n. 32.* statim subdens, *eam perpetuam esse.* Vicarius quippe Generalis, ab Episcopo constitutus, statim accipit jurisdictionem à Lege. Barb: *cit. n. 4.* & ideo in his, in quibus est *ordinarius*) *Judex*, ab eo non appellatur ad Episcopum, *c. Romana, 2. de consuet: in 6. imò nec partibus consentientibus;* datur tamen à Vicario ad Episcopum appellatio in sententia interlocutoria, & supplicatione, fundante suam intentionem in remedio restitutionis; vel etiam, si causa non contineatur in mandato Generali; Barb: *à n. 49.* hinc nec Episcopus revocare, vel impugnare potest, quod canonice, ac legitime talis Vicarius gessit; Rebuff. *cit. n. 40. his positis:*

2316.

Quæstio est, quæ possit Vicarius Episcopi, *ex Generali Commissione?* Resp. quod ex Generali commissione non possit substituere alium Vicarium, nisi ad modicum tempus, vel delegando unam solum, vel alteram causam; ut colligitur ex cap. Clericos, *4. b. t. & c. i. eod: in 6.* ubi dicitur, illos, qui vices gerunt *Officialis excommunicati*, non agere validè in his, ad quæ ab illo excommunicato jurisdictionem accipiunt; ex hoc enim videtur colligi, posse alteri ab Officiali jurisdictionem committi, si non sit excommunicatus. Nec vi ejus commissionis possunt inquirere, corriger, deponere, & punire subditorum excessus *c. licet 2. b. tit. in 6.* nisi addatur clausula: *etiam si exigant mandatum speciale;*

Uuu

clausula;

ciale; sed tunc extenditur solum ad expressa, vel similia, aut minora; Azor. p. 2. lib. 3. c. 44. q. 11. licet possit inquire de criminibus ad hunc effectum, culpabiles remittendi ad Episcopum (non autem ad effectum, vel absolvendi Reos ab illis) sic Metioch. de arbitr. lib. 1. q. 43. nu. 28. nam in generali concessione facta Vicario, conceduntur tantum, quæ in generali mandato continentur, etiam si adesset clausula (dantes, & concedentes ei plenam, & liberam potestatem) arg. L. Procurator cui, ff. de Procurator. Quare non potest ea, vi concessionis generalis, etiam cum praedicta clausula, quæ speciale mandatum requirunt (c. qui generaliter, de procurat: in 6.) immo cum clausula, qua Episcopus diceret (constituo te meum Vicarium generalem, cum facultate, & potestate, ut omnia loco mei efficere possis, quæ ego possum, etiam si talia sint, quæ speciale mandatum requirunt.) Nam aduc ista concessio est solum generalis, ut notat gl. ult: in c. 2. de offic. Vicarij in 6. apud Barb: cit. allegat. 54. nu. 59. V. infra nu. 2321. similiter Episcopi Vicarius, ex vi commissionis generalis, commendatitias ad Ordines dare non potest; gloss. in cit. c. licet, V. officialis; nec beneficia conferre, c. fin. h. t. in 6. nec Vicariam perpetuam. Filiiuc: p. 3. tr. 41. c. 2. nu. 48. potest tamen Oeconomicum deputare Ecclesie patronatae vacanti, pro fructuum custodia, si Ecclesiæ provisio differatur; Barb: in cit. c. fin: nu. 10.

2317. Quæstio est 2. An Vicarius Generalis Episcopi, jure suo, possit confirmare electos, vel instituere præsentatos? affirmativam tenet Covarr. l. 3. Variarum, c. 20. nu. 7. Zerola in praxi Episcoporum V. Vicarius §. 14. Filliuc: cit: c. 1. n. 49. & alij apud Barb: in c. fin: h. t. in 6. n. 9. & p. 3. de Potest: Episcopi, allegat. 72. n. 181. ubi expresse dicit, quod Vicarius Episcopi, sine speciali facultate, possit confirmare electos, & instituere præsentatos, quod etiam habet allegat. 54. à n. 70. ubi pro se alios complures citat cum Azor p. 2. l. 3. c. 44. q. 5. & l. 6. c. 22. q. 3. Confirmari hoc potest claro textu c. ex frequentibus 3. de Institutionibus, ibi: Ex frequentibus querelis didicimus, in partibus vestris consuetudinem pravam, a multis retro temporibus invaluisse, quod Clerici Ecclesia-

stica beneficia, sine consensu Episcopi, vel officialium suorum (qui hoc de jure possunt) recipiant, ubi nota, ly qui hoc de jure possunt. Et ideo Gonzalez ad cit. c. n. 2. expresse docet, Vicarios Generales Episcoporum, ex vi proprij officij, absque alia commissione speciali, posse instituere præsentatos à Patronis, sicut & electos confirmare; ad ductâ gloss. in c. cùm olim, de Majorit: & obed: sic etiam D. Petrus Peckius, ad 1. Reg. juris in 6. n. 14. ubi addit, confirmationem Electorum peti posse etiam a Summo Pontifice, sive immediate illi subsint, sive non; quia Papa concurrit in potestate, & Jurisdictione cum quolibet Ordinario, per c. ad Romanam 2. q. 6. & hanc potestatem, sede vacante, transire in Capitulum. habetur c. 1. de Institut. in 6. ibi: et si Capitulum, Sede vacante, beneficia, quæ ad collationem Episcopi pertinent, conferre non possit, præsentatos tamen à Patronis, potest admittere, si sint idonei, & eos instituere in beneficijs, ad que fuerint præsentati; licet ad Episcopum (si superesset) admissio, & institutio hujusmodi pertineret.

Nec obstat, quod non possint beneficia conferre, c. fin: de Offic: Vicarij in 6. non enim est par ratio institutionis, & collationis; quia instituere, est necessitatis; conferre autem beneficia, gratuitæ donationis. Unde dubitandum non est, institutionem præsentati, vel confirmationem electi, valitaram, factam a Vicario Generali, etiam ignorantie, & non requisito Episcopo; cùm potestatem, hoc faciendi, habeat à lege, supposito, quod duret ejus assumptio, ab Episcopo facta in Vicarium Generalem; & si fortasse, quo ad hunc actum prohiberetur ab Episcopo, dum Vicarius Generalis constituitur, meritò dubitari posset, an esset Generalis? quia sic non haberet in Spiritualibus potestatem in Generalem, quæ est de proprio ipsius jure, ut dictum est; nec potestas, quæ datur à lege, limitari debeat ab his, qui tenentur agere secundum leges.

Q. II.
Ad qua Vicarius Episcopi opus habeat mandato speciali?

R Esp. esse plurima, quæ videri possunt apud Barb: de potestate Episcopi p. 3. allegat.

allegat. 54. Primò enim , sine mandato Episcopi speciali , nequit Vicarias perpetuas conferre , vel erigere , nec collationi consentire ; sic habet n. 61. nec admittere beneficiorum resignations , c. quæstum , de rerum permittat . Rebuff. tit: de Vicarijs , n. 104. nec beneficia unire ; uniones , & Ecclesiæ dividere ; beneficia supprimere ; vel erigere ; vel juris patronatus fundationi consensum præstare ; Coadjutores , Vicarios , imperitis Rectoribus Ecclesiæ , deputare ; Juspatronatus , ex causa dotationis , foundationis , vel constructionis , aliqui reservare , absente Episcopo ; donationi Jurispatronatus decretum , seu autoritatem interponere , etiam absente Episcopo ; novas Parochias erigere , vel alia beneficia creare ; nec alijs pensiones imponere in casu , quo id potest Episcopus ; æconomum Ecclesiæ constituere , qui vicem Episcopi habeat in colligendis Ecclesiæ redditibus , & distribuendis in Clericos , & pauperes ; sic Barbosa cit. n. 78.

2320. Deinde sine mandato speciali Episcopi , nequit Clericos à beneficijs , Officijs , administratione , vel Ordine removere ; vel ab exilio revocare ; autoritatem interponere in creatione dignitatis , à Canonicis factæ , vel novum beneficium in Ecclesia creare ; Ecclesiæ vetustate collapsas , nec defectu impensarum restaurabiles , in matrices , vel alias Ecclesiæ Viciniores transferre ; præsentare ad beneficia , quorum Patronus est Episcopus ; de crimine hæresis cognoscere , vel ab eo absolvere ; publicè pœnitentes reconciliare ; puellas religiosum habitum suscipere , vel religionem profiteri volentes examinare , & adificatione Monasterij , per testatorem relicti , consensum , vel autoritatem præstare , concedere indulgentias ; alijs licentiam audiendi confessiones dare ; Barbosa n. 91. sed contrarium quoad hoc postremum , probabilius est , per Sanchez l. 3. D. 29. & n. 14. V. quæ dicemus infrà.

2321. Nequit etiam causas matrimoniales cognoscere , aut tractare ; nec in monitionibus matrimonij dispensare , juxta aliquos apud Barb. cit. n. 95. sed contrarium probabilius est per eundem , allegat. 32. n. 29. nec relaxare interdicta ; nec dimissorias , vel commendatitias ad Ordines concedere , nisi Episcopo in remotis agente ; hoc est , eo existente ultra duos mon-

tes , ut notat Aloysius Riccius , apud Barb. cit. n. 98. non potest alium sibi Vicarium substituere , nisi ad modicum tempus ; dicecsem visitare ; congregare Syndonum diœcesanam ; in alienationibus , & transactionibus Ecclesiasticarum rerum , decretum interponere ; absolvere ab irregularitate , vel suspensione ex delicto occulto ; disceptare de causa restitutionis in integrum ; recipere juramentum purgationis Canonice , cognoscere , vel exequi ea , quæ Episcopo specialiter commissa , vel delegata sunt ; cognoscere causas feudales ; auctorare exemplum ex originali desumptum ; concedere repressalias ; absolvere à casibus Episcopo reservatis ; inquisitum condemnatum absolvere ; Clericorum bona confiscare ; pœnas corporales in pecuniarias convertere , dispensationes imperitiri ; imponere subsidium charitativum ; exigere quartam decimorum , mortuorum , & Synodaticum . Ratio est , quia hæc omnia exigunt mandatum speciale , ut rectè notat Barb. p. 3. de Officio Episcopi , allegat. 54. à n. 60. quare Vicarius Generalis Episcopi , ex vi mandati Generalis , nihil prædictorum potest ; monet tamen idem Author n. 124. in Commissione Vicariatus non requiri omnes prædictos causas nominatim exprimi ; sed sufficere exprimi aliquos cum clausula : & ad omnia alia , etiamsi exigant mandatum speciale , ex c. qui ad agendum &. sed si aliquis , de Procuratoribus in 6.

Caterūm Vicarius Generalis Episcopi , 2322. ex vi mandati Generalis , potest omnia , quæ potest Episcopus ex vi Jurisdictionis ordinariae , ordinario jure ipse competentis , modò talia non sint , quæ exigant mandatum speciale , & mandatum non sit restrictum . Hinc , ut monui superius , probabilior sententia ei tribuit jus , licentiam confessiones audiendi alijs concedi ; unam , vel plures causas delegandi matrimonio assistendi ; recipiendi delegationes Papæ , exequendi gratias beneficiale , quæ expediuntur in Curia Romana , si Commissio ad Vicarium dirigatur V. Barbosa à

n. 132.

¶(o):¶

Uuu 2.

& III.

Tom. I.

P. III.

Qualiter finiatur potestas Vicarij Episcopi?

2323. **R**esp. finiri i. morte, vel propria, vel constituentis; 2. revocatione; 3. cessante, vel suspenso tribunali constituentis; sic Vallensis b. t. §. 6. si autem quæras, an constituto secundo Vicario, primus censeatur revocatus? R. affirmari ab Azor p. 2. l. 3. c. 46. q. 11. nisi addatur clausula: *citra tamen revocationem aliorum Vicariorum*. Barbos: *cit. allegat. 54. n. 57.* quod tamen intellige, si Episcopus unum tantum Vicarium Generalem in sua diccessi habeat. Nam eo casu est locus. Arg. c. 14. de Procuratoribus & l. 31. §. 2. ff. cod. ubi dicitur priorem Procuratorem revocari per constitutionem posterioris.

2324. Ex dictis colliges 1. obitu, resignatione, depositione, vel translatione Episcopi, finiri officium, vel Jurisdictionem Vicarij Generalis Episcopi, adeò, ut postea nec incepta vivente, aut regente Episcopo negotia perficere valeat. Cum enim utriusque Jurisdictione sit eadem, & in Vicario solum sit eadem ex voluntaria Episcopi constitutione; hac cessante, cessat & illa; illa autem in datis casibus cessat in Episcopo: ergo etiam in ejus Vicario? Limitant tamen aliqui, nisi forte à Capitulo fuerit confirmatus; sed haec confirmatio non facit continuari priorem Jurisdictionem ex vi primæ assumptionis; cum extinta sit, licet verum sit, quod tunc vice Capituli Jurisdictionem Episcopalem habeat, quando à Capitulo, Sede vacante, constituitur.

2325. Hinc ad quæstionem, an causam ipsi, tanquam Vicario Episcopi à Sede Apostolica delegatam, nihilominus expedire valeat mortuo, deposito, translato, vel resignante Episcopo; videtur distinguendum: & affirmandum, si ei tanquam Vicario Sedis Episcopalis; non autem persona, delegata sit, argumento gratiarum, quæ conceduntur à Summo Pontifice ad benplacitum suum, vel Sedis Apostolica. Nam in primo, gratiae exspirant; non, in secundo, mortuo Pontifice.

Colliges secundò, licet verum sit, hujus Vicarij Jurisdictionem suspendi proto-

to tempore, quo Episcopus ejus excommunicatus, interdictus, vel suspensus est ab officio; non tamen econtra, non obstante morali, vel Juridica identitate Jurisdictionis in utroque. Nam in primo casu ea suspensio in Vicario contingit, suspenso v. g. Episcopo; quia Jurisdictione est in Vicario dependenter ab Episcopo, cui Vicarius ratione sui officij subordinatus est: at Jurisdictione non est in Episcopo dependenter à Vicario, ut recte observat Layman in c. 1. b. t. in 6. n. 9. ergo.

ARTICULUS IV.

De Vicario Capituli, Sede Vacante.

2326. **S**upponendum, jure novo Trid. sess. 24. de Reformatione, Capitulum, post mortem Episcopi, infra octo dies, teneri Vicarium constituere, vel constitutum ab Episcopo, confirmare; & si negligat, deputationem devolvi ad Metropolitanum; si Ecclesia sit Metropolitana Capitulo negligente, devolutionem fieri ad Seniorem ex Suffraganeis: si exempta, ad Episcopum propinquorem; non tamen requiri ut Vicarius deputandus sit ex gremio Capituli; præferri tamen extraneo, si idoneus adsit. Hæc Quaranta in Summa Bullarij V. Capitulum Sede Vacante.

Præter hoc nota, quod Vicarius Capituli, Sede Vacante deputatus, quoad potestatem habeat se ferre, sicut Officialis Episcopi; nam in hoc casu Jurisdictione Episcopi est in Capitulo; & hujus in suo Vicario, ut notat Barb. *de Offic. Episcopi cit. allegat. 54. n. 158.* & de hoc, quoad potestatem, quam habet ex vi commissionis generalis, loquendum est eo modo, quo diximus dicendum de Vicario Episcopi in n. 2316. in dicto autem casu Jurisdictione Episcopalis quoad exercitium penes ipsum est; habitualiter, penes Capitulum, ut notat Fagnanus in c. his, que 11. de Majoritat: & Obed: n. 23. & 74. quod potest ejus potestatem, dum eum constituit, restringere, ac ab officio removere; modo alium intra octo dies substituat, juxta declarat. S. Congreg. apud Fagnan. in cit. c. his que.

Not. 2. verum esse, quod Capitulum Sede Vacante spectato jure communi, non teneatur constituere Vicarium, sed possit Jurisdictionem, ad se devolutam per se ipsum

ipsum exercere , juxta Abbatem in c. irrefragibili , 13. de Offic. Ordin. n. 2. secunda tamen esse Jure novo Trid. de quo supra n. 2326. potest autem Sede Vacante constitutere etiam plures Vicarios , aequè principales, saltem ubi amplitudo diecesis id exigit , quantum est vi Juris communis , ut colligitur ex c. unico de Cleric. agrotant. ibi : unum, vel duos ; & notat Quaranta cit. n. 9. quamvis ex Tridentino constitui debeat tantum unus, nisi aliud habeat consuetudo legitima. Est autem Vicarius Capituli constituendus non tantum Episcopo mortuo ; sed etiam , si Episcopus in partibus remotis degat , ac ejus Vicarius defecisset ; item quando Sedes quasi vacat , quod contingit , cum Episcopus est in captivitate , ut dicitur c. si Episcopus , de Supplend. neglig. Prælat. Cæterum , quando eligitur Vicarius à Capitulo , non est de necessitate , ut servetur electionis forma , iure communi præscripta in c. quia propter , de elect. de quo supr. Nam tales Vicarij sunt solum temporales , ut notat Garcia de Beneficijs p. 2. c. 7. n. 22.

Not. 3. quamvis Vicarius Capituli possit ea , quoad Jurisdictionem , qua potest Episcopus (nisi vel à Pontifice , vel à Capitulo in aliquibus restringatur) consequenter possit excommunicare , interdicere , suspendere (nam Jurisdictione Episcopalis eo casu quoad exercitium ad eum spectat , ut

dicitur cit. c. unic. & notat. (Suárez de Censur. D. 7. S. 3. n. 10.) id tamen non procedere , ut ipsum etiam Capitulum valeat excommunicare &c. sic enim & ipse excommunicatus foret , cum ejus potestas sit dependens ab illo ; & ratio est ex num. 2325. causas tamen , Vicario Episcopi delegatas , non potest cognoscere ; quia non succedit Episcopo , vel ejus Vicario in Jurisdictione delegata , sicut nec ipsum Capitulum ; sed tantum , in Ordinaria , Jure Ordinario competente.

Not. 4. quod Vicarius à Capitulo Sede vacante constitutus , & confirmatus etiam ad certum tempus , ante illius lapsum ex causa rationabili revocari possit , ut notat Joannes Andreas in c. penult. h.t. in 6. n. 15. arg. c. fin. de Precar. L. Judicum 58. ff. de Judic. Dixi ex causa rationabili ; quia , si merè pro libitu revocari possit , multum obest rectæ administrationi Justitiae inter particulares Canonicos , & alios ab ipsis dependentes , ut bene observat Quaranta cit. n. 2. Q. Tertio dubitatur : potestas demum Vicarij Capitularis exspirat dato novo Episcopo ; cum etiam exspiret in Capitulo , quod intellige , ubi novus Episcopus confirmatus possessionem Episcopatus accepit ; quia tunc Episcopalis Sedes non amplius vacat ; & huic ab illo ratione gestæ administrationis exige-
re licet.

QUESTIO XXIX.

IN TIT. XXIX. DE OFFICIO, ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

HAec tenus dictum est de Officio , & potestate personarum Ecclesiasticarum , respiciente tractationem divinorum , ac eorum , quæ sunt Jurisdictionis voluntariæ ; nunc agendum est de illis Ministris , qui assumuntur ad ea , quæ sunt Jurisdictionis contentiose , quæ respicit actus Judiciales externos. Not. autem potestatem & officium in eo differre , quod potestas sit ipsa vis , & virtus , aliquid faciendi ; exercitium autem ejus , seu actus secundus , nomine Officij significetur ; de quo plura videri possunt apud Pereyram in Elucidario n. 291. in fin. & n. 1305. quibus positis.

ARTICULUS I.

Quid sit Judex delegatus ?

Pro resolutione supponendum 1. quod verbum *Judex* , in tota sua latitudine , comprehendat omnes *jus dicentes* , cuiuscunque dignitatis sint , ut Praesides , Proconsules , Rectores Provinciarum , & alios similes : dicitur enim (ut ait Sylvester V. eodem) quasi *jus dicens populo* , sive quod jure discepit , id est , justè judicet . c. forus , Q. in omni , de Verb. signif. Unde *Judex* est is , qui Jure potest justum cuique decernere , & reddere. Ut Judicium scrute-
mur

Uuu 3